

05

A

710





In nomine SPIRITUS SANCTI, qui solus ducit in omnem veritatem.

III. DISPUTATIO

συνωδολογική

eaque

GENERALIS III.

De

DUABUS ISTIS CONTROVERSIIS
MAXIME CLASSICIS:

1. An Concilia sint supra Papam.
2. Num Concilia errare possint.

In Electorali ad Albim Academia,
proposita

AUTORE ac PRÆSIDE

JOHANNNE FÖRSTERO

SS. Th. D. & Prof. Ordinario

Respondente

M. VVILHELMO LYSERO

Brunsvigâ-Saxone.

Ad diem 2. Octobr. horis locoq̃ consuetis.

VVITTEBERGÆ,

Ex officina Iohan. Gormanni

ANNO M. DC. XII.



Exquisite Doctrina & Virtutis
VIR O,

Dn. GREGORIO HORSTIO
Doctori Medico Cla-
rissimo

Inclutæ Giessensæ Academiae Reçtori
MAGNIFICO,

Ibidemq; Medicinæ Professori
celeberrimo.

Patrono & Mecœnati meo
exoptatissimo,

Me meumq; hoc chartaceum munus

Do,

Dico,

Consecro



05 A 710

M. VVILHELMUS LYSERUS.



PROPOSITIO.

Transitio I.



Actenus causas Conciliorum, tum *externas*: Efficientem & Finem; tum *Internas*: Materiam & Formam, inq; his naturam & essentiam eorum contemplati sumus,

II.

Proximum est ut *questiones duas* summè controversas & maximè classicas paulo accuratiùs ventilemus,

III.

Prima est: An Concilia sint supra Papam. *Alter*a: Num Concilia errare possint. De utraq; singulatim,

I. QUÆSTIO.

An Concilia sint supra Papam.

IV.

Sensus quæstionis est: Num major sit autoritas Conciliorum, quàm Papæ, adeò, ut illa, hujus vel inviti causam cognoscere, & adversus ipsum, id quod verum ac justum, voce apertâ ac liberâ intrepidè pronuciare possint ac debeant.

Thesis veræ doctrinæ Lutheranorum.

V.

Affirmativam constanter tenent ac tuentur Ecclesiæ Protestantium, qui nomen istud augustum ac percelebre adepti indè, quòd

A 2

contra

contra impium Comitiorum Spirensium de intermittendâ Eccle-
siarum reformatione decretum, A. C. 1529. conditum, solenniter
protestati; quandoquidem illud contra Dei gloriam & hominum
salutem pugnet.

Osiander Cent. XVI. f. 131.

Κατάσκευη theσεως Lutheranorum,

VI.

1. *Scripturæ Te-
stimonia tri-
um generum.* Argumenta pro hac Protestantium Affirmativa congeri huc
possent pluscula: sed sufficient, pro re nata, saltem paucula Scri-
pturæ Testimonia, & ipsorum Papistarum Suffragia.

VII.

E Scripturæ Testimoniis producimus: 1. *Dictum.* 2. *Exemplum.*

3. *Rationem.*

VIII.

1. *Dictum* esto illud CHRISTI Matth. 18. *Dic Ecclesiæ*, quo etiam
Petrus, pro cuius Successore sese venditat Papa, Ecclesiæ, quam, vel
ipsis *παππολάτραις* testibus, Concilia repræsentant, in causis et-
iam privatis ac levioribus, submittitur.

IX.

Præceptum enim generale est, & omnes in universum Chri-
stianos, sive (a) *fratres CHRISTI*, quales, *facientes voluntatem DEI*,
attinet: maximè verò eos, qui *κατ' ἐξοχλὴν fratres in CHRISTO*,
imo *Vicarii CHRISTI*, audire cupiunt.

(a) *Matth. c. 12, 49.*

X.

2. *Exemplum* præbet summus Pontifex in Veteri Testamento,
Divina autoritate, summaq; solennitate confirmatus, ad quem non
solum: sed ad Concilium Sacerdotum perpetuum, in casibus cul-
tûs divini dubiis, Hebræos amandavit DOMINUS.

Deut. c. 17, 9.

XI.

Verba pondere gravissima luce clarissima hæc sunt:

*Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sangui-
nem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, &
iudicium inter portas tuas videris verba variare: surge, & ascen-
de ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesq; ad sacer-
dotes Levitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, que-
resq; ab eis, qui iudicabunt iudicii varietatem. Et facies quod-*
cuq;

eunque dixerint, qui præsumunt loco quem elegerit Dominus &
docuerunt te juxta legem ejus, sequerisq; sententiam eorum,
neq; declinabis ad dexteram, neq; ad sinistram.

XII.

Addè quòd Rex pius *Salomon*, etiam absq; ullo ullius Concilii
prævio decreto, *Abjatharem* summum Pontificem, vel ob conspi-
rationem cum *Adonia*, ab officio deposuisse scribitur.

1. Reg. c. I. & 2.

Inter Rationes *ὑπερέφημα* sibi vendicat ea, quam hujus Syll-
ogismi compedibus illigamus: XIII.

Quicumq; errare potest: super eum est id, quod non potest errare,
Atqui omnis homo, & proinde etiam Papa errare potest: Concilia ve-
rò, ex sententia Pontificiorum, errare non possunt.

Ergo.

XIV.

Major propositio est *ἐὐθελολογία*, ejusq; adeò veritas
neminem fugit, nisi quos ratio fugit,

XV.

Minori sua constat certitudo, partim, ex *Scriptura Sacratio*, par-
tim ex *Experientia penario*: partim ex *Historiarum Promptuario*.

XVI.

E *Scriptura Sacratio* duo potissimum SPIRITUS SANCTI ora-
cula huc quadrant: Generale unum: Speciale alterum.

XVII.

Generale est illud (b) Davidicum, quod, illa *μεγάλη μεγάλη*
θεῶν οὐλύγξ Paulus, his repetit verbis:

Rom. c. 3. DEUS verax: OMNIS autem homo mendax.

(b) Psal. 116.

XVIII.

Speciale est, quod de Pontificibus in universum omnibus, ne
Aarone quidem excepto, quem *Paparam* omnium Patriarcham
primum extitisse contendunt *Jesumachi*, propalàm pronunciat:

Heb. c. 5.

Nam OMNIS Pontifex qui ex hominibus assumitur, pro homini-
bus constituitur in his, que apud DEUM aguntur,

A 5

10

ut offerat donaria & victimas pro peccatis, qui placabilis esse possit ignorantibus & errantibus, quandoquidem & ipse circumdatus est infirmitate.

XIX.

Ex *Experientiæ penario*, quotidie nobis depromuntur humanæ infirmitatis & ad lapsum propensionis *τεκμήρια* nimis frequentia, ut non absq; causa gravi monuerit *Oecumenicus Gentilium.*
Apostolus
1. Cor. c. 10.

Qui stat, videat: ne cadat.

XX.

Ex *Historiarum Promptuario* producimus *Exempla Pontificum Romanorum*, qui *Hæretici* fuerunt, v g:

Liberius Arianus de quo *Platina* in vita ejus m. p. 50.

Imperatoris beneficio motus, cum hæreticis, in rebus omnibus sentiens.

Anastasius II. de quo Bartholomæus Garranza, Monachus & Professor Theologiæ Parisiensis: Hic à Nestorianis corruptus, viscerum egestu pœnas luit.

Iohannes XXIII. qui animas corporibus exutas, Deum ante extremum diem non videre, deliravit, acerrimè refutatus, à Schola Parrisiensi, teste Gersonè illius Scholæ Cancellario, in sermone Paschali.

XXI.

Et tantum de *Testimoniis Scripturæ*: his succedunt *Papistarum suffragia*, quorum quædam *particularia*: sive *Scriptorum quorundam Pontificiorum*: quædam *Vniuersalia* sive *Conciliorum.*

XXII.

Scriptores quosdam Pontificios asserere: Concilium esse supra Pontificem, nec ipse Jesuitarum Cardinalis diffiteri audeat, in hæc verba scribens:

Concilium esse supra Pontificem, id quod asserunt imprimis omnes hæretici hujus temporis, &c. Idem asserit Cardinalis Cameraensis, Joannes Gerson, Jacobus Almainus, & alii nonnulli in suis tractatibus de potestate Ecclesiæ. Item, Nicolaus Cusanus in tractatu de concordantia canonica lib. 2. cap. ultim. Panormitanus in cap. significasti, extra. de electione, & ibidem
Magister

II.
Papistarum
suffragia.

Magister ejus Cardinalis Florentinus, item Abulensis in ca-
put 18. Matthæi quest. 108. & in defensorio trium conclusionum, &
quidam alii. lib. II. de Conciliis c. 14.

XXIII.

Concilia quod attinet: astruxerunt & hæc id ipsum partim de-
creto: partim facto.

XXIV.

Decreto & Constantiense & Basiliense, in quorum illo, iste condi-
tus fuit Canon, Sessione generali 4: repetitus in hoc session. XVIII:

Quod ipsa Synodus in Spiritu sancto congregata legitimè, generale
Concilium faciens Ecclesiam Catholicam militantem represen-
tans, potestatem à CHRISTO immediatè habet, cui quilibet
cujuscunq; status vel dignitatis, etiamsi papalis existat,
obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem di-
cti schismatis, & reformationem generalem Ecclesie Dei in capite
& membris.

XXV.

Facto Concilium Constantiense istud ostendit, solenniter è sede
Papali deposito Iohanne XXIII. commemoratis ejus criminibus, plu-
ribus quam 24. Sessione XII. die 29. Maji.

Antithesis falsæ opinionis Romanensium.

XXVI.

Et tantum quidem de vera Protestantium, ea de quæstione,
sententia: suam Bellarminus opinionem satis clarâ & sonorâ voce hunc
in modum nulla penitus circuitione usus significantissimè procla-
mat:

Lib. II. de Conciliis c. 17.

Summus Pontifex simpliciter & absolutè est supra Ecclesiam uni-
versam, & supra Concilium generale, ita ut nullum in terris supra
se judicium agnoscat.

Ανασχευή Κατασχευής antitheseως Romanensium.

XXVII.

Quod ὁ δόξον ut suis vel probabiliter persuadeat homi-
nibus: Πιχερήματα quædam levis armaturæ producit, ut si uspi-
am: hic certè abundè comprobarit tritum illud: Qualis causa: ta-
lia præsidia. Videamus modò singula ordine.

XXVIII.

i. Papa est Caput Ecclesie universæ etiam simul congregatæ. Er-
go: 29. Mera

Responsio ad
Πιχερήματα
τα Ιεσυιτα:
I.

XXIX.

Mera est *petitio principii*. Unum *unius Corporis Mystici*, quod est Ecclesia, caput est, idq; (d) CHRISTUS, qui solus præstare potest, quæ capitis sunt propria, idq; sufficientissima perfectione omnipotentia & omnipresentia suæ efficacissima in his etiam terris, Non autem Papa, qui Antichristus.

(c) Eph. 4, 4.

(d) Osee 6, 2, 11, Eph. 6, 1, 23, 6, 5, 27.

XXX.

Sin fecus: Ecclesia foret πολυκέφαλος & difformis, adeo que monstrum, id quod cum formositate ejus, à qua (e) sacris in-
literis tantoperè commendatur, ἀντιφατικῶς pugnat.

(e) Cant. 1, 5, 15, 6, 4, 1, 7, 6, 6, 9, 6, 7, 6.

XXXI.

2. Omnia nomina, quæ in Scripturis tribuuntur CHRISTO, unde constat: cum esse supra Ecclesiam, v.g. 1. Paterfamiliās. 2. Pastor. 3. Caput Corporis Ecclesiae 4. Vir seu Sponsus: eadem omnia tribuuntur Pontifici Romano E.

XXXII.

Rata ac parata est responsio tum *generalis ad omnia*: tum *specialis ad singula*.

XXXIII.

Generalis esto κατὰ παρεμολογίαν. Licet enim demus ejusmodi nomina tribui Romano Væjovi: id tamen saltem κολακευτικῶς & ὁμωνύμως: non autem ἀληθῶς καὶ συνωνύμως fieri, apertè pronunciamus.

XXXIV.

Siquidem nihil omninò earum rerum in Pontifice Romano, quas nomina ista complectuntur.

XXXV.

i. Elenchus
Cause.

Specialis responsio ad singula: & 1. quidem, de nomine *Patri-
familiās*, quod assignatur omnibus in universam Ministris Ec-
clesiæ, non quòd sint supra Ecclesiam! & *Concilia*: sed quia Ministri CHRI-
STI & dispensatores mysteriorum Dei, & *varia ejus gratia*, interpretib.
Paulo ac Petro.

1. Cor. 6, 4, 1. 1. Pet. 6, 4, 10.

36. 2. Pasto-

XXXVI.

2. *Pastoris appellatio communis* est itidem omnibus (f) promiscuè 2. *Vitiosa*
Myſtis, qui à pascendo gregem DOMINI, ita dicti, quod non fit Ec- *notatio.*
clesiæ iudicio, (g) quod omnium summum voluit esse DOMINUS
anteponendo: sed pabulum Verbi salubre ei proponendo, exponen-
te (h) *Jeremia*, & ex isto *Jeremiæ* loco confitente *Iesuita* (i) ipso.

(f) *Eph. c. 4, 11. Act. c. 20, 28.* (g) *Matth. 18, 17.*

(h) *c. 3, 15.* (i) *lib. 1. de Conciliis c. 15.*

XXXVII.

Adscribo, majoris evidentiae gratiâ, integram periodum :

*Notat Hieronymus in hunc locum, & Augustinus Epist. 59. ad Pauli-
num, conjunctum esse nomen pastoris cum nomine doctoris, quia
proprium est pastorum docere.*

XXXVIII.

3. Capitis nomen, respectu corporis mystici, quod est Ecclesia *Fallacia falsi
solius CHRISTI est proprii, sicut & 4. Sponsi, & neutrum ulli mortali-
um, nedum Antichristo Occidentali, nisi per sacrilegium plusquam
nefarium, vendicari potest. XXXIX. mediis imò bla-
phemi.*

Et quid absurdus Virginem istam omnium Castissimam non
unum: sed geminum amare Sponsum?

XL.

Contrarium asseveranter affirmat Amicus Sponsi Cœlestis
CHRISTI Paulus. 2. Cor. 11.

Adjunxi vos UNI VIRO, ut virginem castam exhiberetis CHRISTO.

XLI.

III. Concilia ipsa sic statuunt, v. g. *Sinveſſanum, Romanum, Chalce-
donense & alia E. XLII.*

Præstò sunt Responsiones: 1. *Generalis & Confusa. 2. Speciales &
Distinctæ. XLIII.*

*Generalem mutuamur ab Hieronymo hinc conceptam verbis:
SPIRITUS SANCTI doctrina est, quæ Canonicis literis prodita est, con-
tra quam, si quid statuunt Concilia, nephas duco. De re enim ma-
gna, & complectente salutem animarum agitur.*

XLIII.

*Speciales quod attinet: 1. ad Concilium Sinveſſanum responde-
mus, loco integrè allegato, id quod à Jesuita subdolè omissum.
Ita verò habet: B Nemo*

Nemo unquam iudicavit Pontificem, nec præsul sacerdotem suum, quoniam prima sedes non iudicabitur à quoquam.

Tom. I. Concil. f. 196. col. 1

XLIV.

Unde patet quod verba: *prima sedes non iudicabitur à quoquam*: non eò extendi possint ac debeant, quasi Pontifex Romanus ne à Concilio quidem ullo damnari possit.

XLV.

Pugnaret enim id, cum ipso Concilio istius factò, quo certè Marcellinus Papa, propter idololatriam, damnationis calculo notatus fuit.

XLVI.

Et hanc ipsam quoq; causam Synodus ista instituta erat: sicut ex Actis Concilii, paragrapho mox sequenti, patet:

Hoc audito, Diocletianus dum esset in bello Persarum audivit, quod trecenti Episcopi & triginta Presbyteri, & tres Diaconos, in eius damnationem convenirent, dum sub scripsissent omnes, ipse omnium primus manusua propria Marcellinus conclusit in sua anathemate, anathemate subscripserunt.

XLVII.

Sequeretur item quemvis sacerdotem *ἀντιπρόσωπον* esse, nec posse ab ullo damnari Præsule.

XLVIII.

Verùm: hæc est verborum, quæ modò adduximus, sententia: Romanum Episcopum, non posse à quoquam Episcopo damnari, ideò, quia ille, *ordinis ratione* omnium primus; quemadmodum nec Sacerdotem à Præsule, in ea, quæ ipsi, cum illo intercedit controversia.

XLIX.

2. Romano quidem Concilio sancitum fuisse legimus: *Neq; præsul summus à quoquam iudicabitur, quoniam scriptum est: Discipulus non est super Magistrum.*

Tom. I. Concil. f. 271. Col. 2.

L.

Sed præterquam quòd ratio istius sententiæ per quàm frivola, Concilium illud certè merè vereq; fuit Antichristianum.

LI.

Stabilita enim fuit inibi licentia & impunitas clericorum, ad eò

adeò, ut Presbyter Cardinalis non nisi 44. testibus damnandus, contra manifestam assertionem Apostoli, qui tres saltem vel duos etiam testes eam ad rem sufficere iudicavit.

1. Tim. 6. 5, 19.

LII.

Addè quòd in eodem Concilio Clerici vinculo obedientiæ erga Magistratum soluti, isq; carbone atro notatus, contradicendo iterum Apostolo, voce hac prorsus Antichristianâ:

Testimonium laici adversus clericum nemo recipiat. Nemo enim clericum quemlibet in publico examinare presumat, nisi in Ecclesia. Nemo enim clericus, vel diaconus, aut presbyter propter quamlibet causam intret in curiam, nec ante iudicem cinctum causam dicere presumat: quoniam omnis curia à cruore dicitur, & immolatio simulacrorum est.

Tom. I. Concil. f. 272.

LIII.

3. In literis in Concilio Chalcedonensi publicè perlectis, præponitur *Fallacia* con- nomen Leonis Papæ Concilio, non quòd Papa sit supra Concilium: *sequentia* & *sed* quia in Sessione inter Episcopos illo in Concilio primum habe- *cause.* bar locum.

LIV.

Quòd autem, eo in Concilio, Dioscorum propter damnationem Leonis Papæ, damnatum fuisse scribit Jesuita. id ex Actis illius Concilii refutari potest quàm facilimè.

LV.

Constat enim inde, quòd Dioscorus non tam propter illam Papæ damnationem *injustè* factam: quàm propter *eadem, heresim a-* liaq; *scelera* enormia damnatus fuerit.

LVI.

Quæ ex cæteris conglomerat Conciliis, laborant omnia ac singula petitione principii, & fallaciâ *testimonii suspectæ* vel *potius nullius veritatis*, quandoquidem ea Concilia in Papatu celebrata, cum jam iusto Dei iudicio efficacia erroris immittebatur 2. Thes. 2.

LVII.

IV. Accedunt ipsorum Pontificum Romanorum testimonia. E.

LVIII.

Sed quo jure? Nullo *In propria enim causâ.* Ergo iterum elenchus *Pseudomartirias.*

LIX.

V. Ad sedem Apostolicam de qualibet Mundi parte appellandum est, ait Gelasius Papa. E.

B 2

60, La.

LX.

Laborat & isthæc collectio clencho fallaciæ testimoni planè illegitimi, in propria siquidem causa.

LXII.

Quæ Jesuita adducit exempla: extra stadium currunt. Peti-
ta enim sunt à Conciliis provincialibus iisq; illegitimis atq; hæreticis.
Hic autem propriè quæstio & de Concilio *Vniversali*, & legitime cele-
brato.

LXIII.

Quod autem à tali Concilio ad Romanum Pontificem non
liceat provocare, perspicuum est ex V. hoc Concil. Nicen. Canone.
*Servetur & ista sententia, ut hi qui ab aliis excommunicantur, ab aliis
ad communionem non recipiantur.*

Tom. 1. Conc. f. 252. Col. 2.

LXIV.

6. VI. Romani Pontifices approbârunt quædam Concilia: quæ-
dam reprobârunt. Ergo. LXV.

Ejusdem monetæ & isthæc est argutariuncula cum prioribus,
& insuper fallaciâ consequentiæ, quasi *ἀποπληξία*, lethaliter la-
borat.

LXVI.

Iterum enim allegat auctoritatem Pâparum *Gelasii, Damasi, Le-
onis, Gregorii.*

LXVII.

Et cujusvis sanè Christiani est Concilia pia & legitima ap-
probare: impia autem & illegitima reprobare, secundum illud
Catholicum Apostoli.

1. Thess. c. 5.

Omnia probate, quod bonum est tenete.

LXVIII.

Quis verò adeò confusi & obrusi est iudicii, ut isthinc evin-
cere ausit: quemvis Christianum esse supra Concilia?

II. QUÆSTIO.

An Concilia possint errare

Vera sententia Protestantium.

XLIX.

Affirmant id Protestantes, horumq; imprimis *Δαδ̄ρχ* Luth-
therus, in locis à Bellarmino citatis.

Asser-

Affertione artic. 28, 29. Tom. 1. Jen. Germ. f. 427. 428. in libr. de Concil. Tom. VII.
LXX.

Statuunt proinde: Non tantum errare posse Concilia: tam Universalia: quam Particularia, etiam à Pontifice Romano confirmata: sed sæpius etiam gravissimè errasse.

LXXI.

Erroris origo & scaturigo est, exorbitatio à regia & militari via Scripturæ, quam solam omnium Conciliorum normam esse convenit, secundum universalem Prophetæ μεγαλοφωνοτάτης παραινέσιν. Esa. 6. 8, 20.

LXXII.

Quò itidem collimat ὁ Δαυὶδ Davidicum quo, ut in Congressibus sive conventibus celebretur DOMINUS ex fonte Israelis requirit, Psal. 68.

κατὰσκευὴ veræ Protestantium Sententiæ.

LXXIII.

Ceterum ut à thesi nostra ad κατὰσκευὴν ejus faciamus transitum: duo potissimum nobis probanda veniunt: Vnum est, quòd possint Concilia errare, 2. Quòd eorum plurima errarint.

LXXIV.

Prioris thematis probationem hoc expedimus Syllogismo: 1. Probatio Si integrum Sacerdotum Synedrium errare potest: potest etiam errare Concilium. Sed verum prius,

Ergo & posterius.

LXXV.

Ratio connexi est, quia Pontificiis Concilia nihil aliud sunt, quam Sacerdotum, & imprimis Episcoporum Synedria sive conventus.

LXXVI.

Assumpto suo constat veritas, partim Dictis, partim Exemplis Scripturæ. Ex Dictis Scripturæ huc potissimum quadrant ea, quibus κατ' ἐμφάσιν, enunciatur: omnes in universum sacerdotes errores spargere & mendacia. Jer. c. 56, 10.

Speculatores ejus cæci OMNES, nescierunt UNIVERSI: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia. Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem: ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam: OMNES in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, à summo usq; ad novissimum.

B 3

Jer.

Jer. c. 6.

A Propheta usq; ad sacerdotem CUNCTI faciunt & dolunt.

LXXVIII.

Inter *Exempla* maximè memorabile est illud *quadringerorum Sacerdotum*, qui omnes & singuli, mendaciorum sutores & satores impudentissimi.

I. Reg. c. 22.

LXXIX.

Probatio poste-
rioris thema-
tis.

Posterioris *thematis* probationem constituunt *Exempla*, quæ partim *Sacris* partim *Ecclesiasticis* libris memoriæ prodita continentur.

LXXX.

In *sacris* valdè illustre est, *Exemplum Concilii* illius splendidi-
dissimi, in quo *Consilium* iniisse certum est *OMNES* principes *Sacerdotum* adversus *JESUM*, ut eum morti traderent,

Matth. c. 27, 1.

LXXXI.

Imò vis veritatis hic tanta est, ut *Bellarmino* ipsi vel invito extorserit concessionem, qua ipsemet causæ suæ jugulum tanquam laqueo constringit:

lib. II. de Concil. c. VIII.

LXXXII.

In *libris Ecclesiasticis*, & præsertim *Tomis Conciliorum*, plurima occurrunt: tum in *Oecumenicis*: tum in *aliis Conciliis*.

LXXXIII.

De *Oecumenicis* quorum quædam etiam non planè immunia fuerunt, ab omni errore, suo dicetur loco.

LXXXIV.

In *aliis* non tam *particularibus*, quàm ex *Romanensium* opinione *universalibus*, plures gravissimi errores fuerunt stabiliti.

LXXXV.

In *particularibus*, & quidem *Carthaginensi ἀναβαπτισμὸς eorum*, qui ab hæreticis baptizati.

LXXXVI.

In *Antisynodis Sirmiensi, Seleuciensi, Tyria, Antiochena, Hierosolymitani, Arimensi* blasphemia *Arii*. LXXXVII.

In *universalibus* & quidem in *Nicena II. εἰδωλολατρεία*: In *Latevanensi*, commentum *transubstantiationis*, in *Constantiensi ἡ ποτηριονλευσία*, &c.

Antithesis falsæ opinionis *Romanensium*.

Quæ

LXXXVIII.

Quæ Romanensium de proposita quæstione sit sententia: conductitius eorum Præco Bellarmius stentorea voce ebucinat, duabus hisce propositionibus:

lib. 2. de Concil. c. 2.

Fide Catholica tenendum est, Concilia generalia à summo Pontifice confirmata errare non posse, ne in fide, nec, in moribus.

C. 5.

Concilia particularia, à summo Pontifice confirmata in fide & moribus errare non posse.

Ανασκειυη Κατασκειυης ανηθεσεως Romanensium.

LXXXIX.

Hujus sui præconii ut vel unam obtineat partem: tumultuariâ operâ quædam corradit Scripturæ testimonia, in quatuor classes distributa.

XC.

Primæ classi adscribit tria, (videlicet Matth. c. 18, 19. Ioh. c. 16, 13. Act. 15, 28.) quæ appellat *propria*, vel hoc ipso innuens, cetera esse ab hoc ipsius instituto aliena.

XCI.

R. Dicta Scripturæ *per se* vera sunt: sed *accommodatio* eorum ad quævis promiscue Concilia, & præcipue ad Conventicula Episcoporum titularium in Papatu falsissima est, & elencho τῆς παραποµένῃς fædè vitiata.

XCII.

Istis enim, cum verâ in CHRISTUM fiducia & doctrinæ Apostolorum sinceritate, nihil commercii.

XCIII.

Taceo, quod vocem SPIRITUS SANCTI Scripturam securè profligant, substituto in ejus locum mugitu ac rugitu, Romanæ Bestiæ humanarumq; traditionum quisquiliis.

XCIV.

Quid? SPIRITUM SANCTUM per Scripturam loquentem, posse esse controversiarum, de quibus, in Conciliis, disceptari solet, judicem, blasphemè negant.

Collog. Ratiobon. p. 292. & 294.

95. 50

XC V.

Secunda classi accenset itidem tria *Matth. 16, 18. Matth. 28, 20. 1. Tim. 7, 13.* quibus probare nititur non posse errare Ecclesiam, in-
credendo, & sic neq; Concilia, quæ illam repræsentent.

XC VI.

Sed committit fallaciam *ὁμωνυμίας* & *ignorationis Elenchi*: si-
quidem hæc dicta loquuntur, de *Ecclesia vera & Catholica*: non au-
tem de *falsa & particulari*, qualis Romana, quæ certè gravissimè er-
rat.

XC VII.

Tertia classi includit unicum illud *Luc. cap. 22, 32.* quo de-
monstrare sudat: Papam qui Conciliorum Præses & governa-
tor non posse errare.

XC VIII.

Ref. 1. per *negationem Consequentia*. A Petro enim ad Papam,
quæ consecutionis ratio, nisi qualis à baculo ad angulum.

XC IX.

2. Per *inversionem*. Petrus lapsus est & erravit in fide. Ergo multò
magis Papa

Ad quartam classem refert ea dicta, quæ docent Episcopis obe-
diendum esse *Luc. 10, 16. Heb. 13, 17. &c.*

C I.

R. Est *ἔλεγχος* ὅτι τὸ πᾶν ἢ ἀπλῶς Episcopis enim obedien-
dum est; non simpliciter; sed conditionaliter, non quatenus tradunt
cordis sui figmenta: sed verbum Dei.

Ier. 23, 16. Matth. 23, 3. 1. Pet. c. 4, 11.

(1) lib. II. de Con. c. 3. & 4.

C II.


Quæ ex *Patribus & Naturali ratione* assuit: vel hac unâ rejici-
mus *Chrysostomi* sententia:

Homil. de prof. Evang.

Error est, quicquid contra *Scripturam* decernitur.

FINIS.





In nomine SPIRITUS SANCTI, qui solus ducit in omnem veritatem.

III. DISPUTATIO

συνολογική

εαυτε

GENERALIS III.

De

DUABUS ISTIS CONTROVERSIIS

MAXIME CLASSICIS:

1. An Concilia sint supra Papam.
2. Num Concilia errare possint.

In Electorali ad Albim Academia,
proposita

AUTORE ac PRÆSIDE

JOHANN E FÖRSTERO

SS. Th. D. & Prof. Ordinario

Respondente

M. VVILHELMO LYSERO
Brunsuigâ-Saxone.

Ad diem 2. Octobr. horis locoq̄ consuetis.

VVITTEBERGÆ,

Ex officina Iohan. Gormanni

ANNO M. DC. XII.